BIBLIOTECA
SEMINARIO V.
PORDENONE
B
Δ
BRI

BIBLIOTECA
SEMINARIO V.
PORDENONE
B
BRI

PRO EXALTATIONE SANCTORVM CORPORVM A TEMPLO VETERI DIVAE IVSTINAE AD TEMPLVM eiſdem nouum,

per Reuerendum Abbatem, ac totius Caſinen ſis vel Sanctæ Iuſtinæ congregationis Præſidentem, D. Peregrinum de Mutina.

MARCI BRIXIANI MONACHI ad Patauinum populum Oratio.

(mutilo)




PATAVII,
Apud Gratioſum Perchacinum.
M D LXII.

1

P.18



MARCI BRIXIANI MONACHI
ad Patauinum populum
Oratio.





CCE nobis Præſul
Reuerendisſime, ſplendi-
disſime Equeſtris ordinis
Prætor, integerrime Prę-
fecte, Venerandi Sacerdo
tes, Patreſq́ue optimi, do-
ctisſimi Gymnaſiarchæ,
magnifici Reipublicę Deſignati, pĳq́ue qui ade
ſtis ac religioſi omnes viri electa Dei vaſa, fra-
grantia vnguentis optimis. Ecce, inclyta Pata
uina Ciuitas theſaurus tuus, theſaurus deſidera-
bilis, theſaurus pretioſus theſaurus infinitus, in
cuius comparatione, omne Midæ aurũ, omnes
Crœſi diuitię, & ipſę quoque omnes auari Pig-
maleonis opes, quaſi lutum, & quaſi arena exi-
gua reputentur. Ecce domus aromatum pĳſ-
ſimi regis Ezechiæ, aurum quoque, & argen-
tum, & pigmenta varia, & quęcumque recon-
dita hab uit in theſauris ſuis, quæ tibi hodie, cœ-

lesti Angelorum gaudio, & exultatione vniuersæ terræ, religiosissimus Abbas, sacraqúe Iustiniana Monachorum Familia, felicissimo proponit spectaculo. Sed multo sapientius, multo iocundius, multoqúe beatius, quam ille qui sacrum thesaurum profanis ostendit Babylonijs, quos oderat Deus, & qui quandoque domum regiã spoliarẽt, vasaqúe omnia Sacrosancti Templi Idolis suis sacrarent. Hic vero nõ impijs & idolatris, sed tibi Deo caræ Ciuitati, ac deuotissimo Populo tuo, ornato quem cernis cultu, pretiosos thesauros, solemnibus ceremonijs, spiritualiqúe apparatu, decenter ostendit, nil timens à sancto Dei Propheta reprehendi, quia & nil ambigens, quin & tu beata hęc Dei dona summa pietate venereris, summa reuerentia colas, summo honore prosequaris, summa obseruatione custodias. Isti sunt Dij tui felix Patauium, non quos murmuranti Populo conflauerit Aaron, sed qui te vere eduxerunt de terra Aegypti, & de domo seruitutis Idolorũ, qui te primo sale delibutam dulcissimis vberibus lactauerunt, & sancta Christiana Religione initiarunt. Vt quæ ad simulacra muta duc[illegible]aris, esses gens sancta, Populus acquisitioni[illegible] [illegible]egale

Dei

Dei ſacerdotium. Non hos facticios Deos, victoſque penates medijs elapſus achiuis ædificator tuus tibi ex Ilio vexit Antenor. Sed tibi dedit illos Dominus tutelares Deos victores hoſtium domitores orbis, triumphatores & amicos ſuos. Hos ſuper muros tuos conſtituit cuſtodes, qui te cuſtodiant die ac nocte, & vniuerſum Populum tuum ab omnibus inimicis ſuis protegant, & perpetua propugnatione defendant. Hi ſunt clypei aurei, quos ditisſimus Salomon noſter Ieſus Chriſtus, in hoc ſancto Tẽplo ſuo poſuit, in quibus refulget Sol, & reſplendent montes ab eis, & omnis fortitudo gentiũ disſipatur. Leua in circuitu oculos tuos Vrbs fidelis, & vide iocunditatem, quæ venit tibi hodie â Deo tuo. Vide inclytos Apoſtolicos proceres. Vide fortisſimos Martyres. Vide Paſtores tuos bonos. Vide candidas & rubicundas Virgines. Vide domeſticos & Alumnos tuos. Vide & quibus de terra longinqua complacuit in te. Omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi, & elegerunt te in habitationem ſibi. Hos excipe feſtiuis gaudijs, horum laudes decanta, horũ felices recole memorias, quorum meritis ornata coruſcas, quorum

ſan-

ſanguine purpurata refulges, quorum victorijs gloriosa triumphas. Prima tibi occurrit in veſtitu deaurato, circumornata varietate, Virginis os habitumqúe gerens, & dea certe. Sed nõ Phœbi ſoror, aut Nympharum ſanguinis vna, nõ Amazonia Pentheſilea, aut Volſca de gẽte Camilla, ſed os ex osſibus tuis, & caro de carne tua, illuſtris olim Regina, & alumna tua Iuſtina. Regina quidem, Regio genere, & Rege de patre nata, ſed quę regnũ mundi, & omnem or natum eius contempſit propter amorem ſponſi ſui Ieſu Chriſti, quem amauit, in quem credidit, quem dilexit, quem perpetua virginitate vnum ſibi virum coaptauit, ſpetioſum forma præ filijs hominum, cui Angeli ſeruiunt, cuius pulchritudinẽ Sol & Luna mirantur, cuius caſtisſimo connubio, ſatis illuſtrior, ſatiſqúe potentior facta eſt religione diuina, quam fuerat dominatione terrena. Vide pulchram, & decoram inter filias Hieruſalem, vide ornatã Sponſam viro ſuo, non corruptibilius gemmis, ſed pretioſo quem pro eius amore effudit ſanguine coruſcantem. Hanc comitari non dedignantur, magni Apoſtolici heroes, magnæ Eccleſię columnæ, Cœleſtis curiæ patritij, glori‿ſi Senato-

natores, Matthias, & Lucas, quorum alterius in Apoſtolatu, alterius laus eſt in Euangelio. Quorum alter magis iuſtus inuentus eſt à Spiritu ſancto, quam qui iuſtus ab hominibus, & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis. Alteri sãctisſima Maria, ſua diuina omnia ſecreta oracula, virgini, virgo, Eccleſiæ ſanctæ reſeranda reuelauit. Cuius omnes ſcripturę (vt egregie magnus quidam è patribus ait) languentis ſunt animæ medicinæ. Et qui erat medicus corporum, factus eſt & medicus animarum. Ingredere poſt hos, quod tibi hodie apertum eſt, florentisſimum Chriſti viridarium, & videbis non Alcinoi poma, non Heſperidũ hortos, ſed vernantia prata delitiarum. Videbis Violas, videbis Lilia, videbis perpetuas Roſas, & immarcesſibiles flores. Videbis inquam tria Innocentum infantum martyrum corpora, ante Ieſum pro quo pasſi ſunt, palma, & coronis lætãtia. Poſt illos, imo cum illis, vide optimos Paſtores tuos, ſanctos Dei Sacerdotes, Proſdocimum & Maximum, tanquam magnos Dei Prophetas Eliam, & Eliſſeum, felici Cathedrę alterius ad alterũ ſucceſsione, non igneo curru, ſed angelico comitatu in Cœlũ raptos, Deum

pro

pro populo ſuo deprecantes. Magnus Propheta Proſdocimus in ſpiritu & virtute Eliæ, ſed qui Spiritum ſuum ſucceſſori quoque ſuo Maximo quaſi Eliſſeo non inuideat. Qui vere maximus, non corporis, non diuitiarum aut mundi honorum magnitudine, ſed ampliſſimo virtutum cumulo, tanti ſui menſuram nominis implet. Reuerendos Epiſcopos Hoſpites ſuos, non incongruè ſequitur ipſe Dominus domus, ſanctiſſimi huius Cœnobij, ſanctiſſimus Abbas Arnaldus Religione conſpicuus, confeſſione inſignis, martyrio clarus, miraculis glorioſus, cui dum crudelis Tyrannus Accialinus, arctiſſimo perpetuo carcere, terras vetat, latiſſimas ei Paradiſi aulas aperuit: vt illum honorificè ſuſciperet Cœlum, quem dignus habere non eſſet terrarum orbis. Quibus vero canticis beata Ciuitas, quibus dignis laudibus celebrabis inſignes pietate viros Iulianum & Vrium, quibus honoribus, grates eis poteris perſoluere dignas, quorum ſolicita religionis cura, pro venerandis Sanctorum Reliquijs, quæ paſſim ab impiſſimo Apoſtata Iuliano, de Sepulchris ſuis erutæ in Chriſtiani nominis odium diſpergebantur, magno theſau-

ro

ro vasisqúe aureis & argenteis spoliauit Aegy-
ptios, ditauit Hebræos. Hi sunt viri misericor-
diæ, oliuæ binæ pietatis vnicæ, & candelabra
luce radiantia, quorum memoria in benedi-
ctione tibi semper erit, quorum in generatio-
ne, & generatione, semper honos, nomenqúe
pium, laudesqúe manebunt. Hi sunt qui im-
mensa tibi illa munera, inestimabiles gemmas,
aurea vellera, & pretiosa aromata attulere, qua-
lia nec Iason â Colchis, nec ipsa Regina Sabba,
ab Oriente attulit Salomoni. Horum alter Iu-
lianus, scilicet trium Innocentum Martyrum
corpora, de Iudeæ partibus sublata, æternum
tibi munus dedit. Alter vero Dei Sacerdos
Vrius, Matthiam & Lucam, de Constantini
Ciuitate, in qua impius ipse Tyrannus reside-
bat Iulianus, quasi Angelus Domini Abraham
& Loth de Vr Caldeorum & Sodomis ereptos
ad te felici nauigatione perduxit. Factumqúe
est, vt sicut à deuicto Sergio Paulo Proconsu-
le, Paulus, & à subacta Affrica, Scipio Affri-
canus dictus est, sic à deuicto Apostata Impera-
tore Iuliano, Iulianus, & à spoliata quasi Vr,
Tyranni Ciuitate, Vrius nomina sua, vel ac-
quisierint, vel impleuerint, vt eis pro tam felici



victoria, optimisqúe spolijs, non minorem pares triumphum, quam suo olim Roma Scipioni. Qui in hoc sancto Templo, cunctis quibus vixere diebus, beatis ipsis, quæ detulere corporibus, sacro cultu deseruientes, cum eis sepulti, ab illis, quos coluere viuentes, in morte quoque non sunt separati. Rectè itaque tam beneficos hos patres, quos vna in Deum religio, vna in sanctos eius pietas, vnus in terris sepulturæ locus, vna in Cœlis Paradisi sedes feliciter iunxit, nostra quoque simul iungit hodierna deuotio, nostra simul celebrat, solemnis & grata memoria. Claudit beatissimum Sanctorum nostrorum agmen, felicemqûe choream, secundum nomen suum, felicissima sanctimonialis Virgo Felicitas, noua Anna nostra prophetissa, quæ nunquam recessit de Templo Domini, cunctis diebus vitæ suæ, seruiens illi ieiunijs & obsecrationibus die, ac nocte. Cuius animam, & si gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrij non amisit, mundo se iugi carnis afflictione crucifigens, & mundũ sibi. Ecce tibi felix Patauiũ, miro fulgore, in perpetuas æternitates radiantia, illustria duodecim felici numero, Zodiaci signa, quæ tibi hodie proferuntur, præter

in-

innumerabilem ſtellarum illarum multitudinem, quæ in ſacratisſimo Templi huius puteo, quaſi in firmamento Cœli coruſcant, quarum nomina, & ſi nobis ignota, ſcripta tamen ſunt in libro vitæ. Pretioſus puteus de quo verè dicatur, fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ impetu barbaricæ perſecutionis inſigni martyrij corona fluxere de Libano. Hi ſunt duodecim illi fontes Elim, ad quos ſubmerſo Pharaone, cũ curribus & equitibus ſuis in mare, Duce Moſe, caſtrametatus eſt Hæbreus populus, ex quibus tibi emanant, imbres chariſmatum, flumina benedictionum, gratiæ ſanitatum, torrentes miraculorum, & largisſimæ diuinarum dulcedinum perfuſiones. Hi ſunt inclyti principes duodecim, tribuum filiorum Iſrael, qui præcedant populum tuum ad bella fortisſimi. Hi ſunt firmisſima fundamenta ſanctæ ciuitatis nouę Hieruſalem, duodecim illi pretioſisſimi lapides, quos beatus in Apocalypſi ſua recenſet Ioannes, qui nõ veteris Aaronis ſacerdotis, ſed Ieſu noſtri Pontificis magni, veſtimenta exornent, qui pro nobis ingreſſus in ſancta factus eſt, ſacerdos in æternum Chriſtus Dominus. Hi ſunt duodecim apoſtolici

 frag-

6

fragmentorum Iesu panis cophini, quos ne perirent, fidelis Iustiniana domus, in hodiernum vsque diem seruauit. His enutrita es gloriosa Patauium, his in Christianum perfectum populum euasisti, vt esses ciuitas sancta, Vrbs fidelis. Hoc te hodie felicissimo munere beauit Reuerendus Abbas, ac deuotissima Iustiniana Familia. Hos tibi hodie omnes ostendit, hos hodie omnes in hoc sacro nouo Templo exaltat, præter magnum tuum Prosdocimum, qui & si ab eorum pia recolenda memoria non fuerit separatus, eius tamen beatissimum corpus, in antiqua sede, sacroqúe altari suo honorificè requiescens, pro veteri tua seruanda consuetudine, illud ibi adorandum, vbi tandiu, innumeris clar uit miraculis, prudentes patres immotũ tibi reliquere. Hos itaq; tu omnes venerare, hos quantis potes honoribus celebra, horum beatissima ossa deosculare, & adora. Ad horum te prosterne tumulos, ad horum solemnes aras, pias tuas preces, religiosa tua vota, dulces tuas lachrymas, suauia tua emitte suspiria, & effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Sanctorum tuorum, quorum sanctis meritis, iugiqúe intercessione, nullius erit irritum votum, nullius irrita

ta

ta postulatio. Sedent in Cœlis medij Angelo-
rum. Sedent apud Imperatorem suum Iesum
veterani milites, de sua quidem iam felicitate
securi, sed de nostra salute soliciti. Non enim si-
cut membra carnis, sic exuerunt viscera pietatis,
nec sic induerunt stolam gloriæ, vt nostræ sint
obliti miseriæ. Non est terra obliuionis, quam
nunc inhabitant, quippe, quæ non est terra, sed
Cœlum. Cœlestis habitatio, animas quas ad-
mittit, non indurat, non memoria priuat, non
spoliat pietate, vt pro eis non orent defuncti,
quos dilexere viuentes. Et qui incolunt Cœlos,
despiciant terras. Non sunt pincernæ Pharao-
nis, qui nostræ captiuitatis non recordentur.
Absorti quidem sunt in gloria, sed nõ obliti cla-
morem pauperum. Dolores suos nesciunt, at
sentiunt nostros. Succurrunt nobis Angeli,
non succurrent qui ex nobis sunt, & nescient in
his nobis compati, in quibus ipsi sunt passi?
Non deerunt nobis gloriosa per illos miracula,
nisi nos per modicam fidem miraculis deesse
voluerimus. Quid non faciant, quod semper
fecerunt? Ecce & nunc apparuit illorum beni-
gnitas & gratia, in claudo homine, qui septem
iam annos habens in infirmitate sua, cum disso-

lutis cruribus incedere penitus non valeret, a primum beata hæc corpora, de locis suis moueri cœperunt, biduo sanctis perseuerans precationibus, tertia demum die, recto incessu, incolumis remeauit ad propria, magnificans, & laudans Deũ, in beatissimis istis Sanctis suis, quorum meritis sanus effectus fuerit. Non est obscurum factum, quod & Reuerendus Abbas, vosqúe ipsi magnifici Reipublicæ Designati, accurata examinatione didicistis. O quam beata & felix es Patauium, quæ tales habeas apud Deum Oratores, quorũ patrocinio subleueris. Felix & tu sacratissimum & augustissimum tẽplum, felices aræ, felicia marmora, quibus datum est, sanctissima diuorum ossa contegere, & cœlestes seruare thesauros. Iam te laudabunt templum Dei sanctum, te mirabuntur, qui detrahebant tibi, & adorabunt in te filij tui. Quibus aliquando ambitiosum visum es & superbum, nunc te videntes tantorum Cœli principum habitaculum, humile videberis & angustum. Quippe quorum honoribus, quorũ beatis memorijs, quorum pretiosis ossibus, non Memphiticæ Pyramides, non antiqua maximorum regum mausolea, non ipsum quoque suffi-

ſufficiat Cæſareum, cui omnis cederet labor amphitheatrum, Quæ namque illis digna domus in terris, qui præclaram illam in Cœlis habitant ciuitatem, cuius turres gemmis ædificatę ſunt, & omnes muri eius ex auro puriſſimo. Hic itaq; feliciſſimę huius exaltationis dies celeberrimus tibi ſit, inclyta Patauiũ, celeberrimus & filijs tuis. Nulla illius memoriã temporis, longitudo, nulla deleat obliuio. Sed ingenti cum lætitia, & exultatione æternum tibi ſit diuinæ gratiæ, & Peregrini Mutinenſis, Abbatis, deuotiſſimeq́ue Iuſtinianę huius Familiæ tuæ, ſpiritualis ſtudij monumentũ. Vos vero ſanctiſſimi Paradiſi ciues, ac domeſtici Dei, optimi patroni noſtri, reſpicite ad ſuplices veſtros, reſpicite ad debiles & infirmos, & hęc ſit veſtrorũ conſummatio triumphorum, ſi & nobis vos viciſſe ſentiamus. Da pijſſime Ieſu, ſic eos apud te de ſuis victorijs gloriari, vt non ſubeat obliuio noſtri. Serua illorũ ad te meritis & precibus, charam hanc patriã ſuã, dilectãq́ue ciuitatẽ, cũ vniuerſo populo ſuo. Serua ſereniſſ. Dominos, ac principes noſtros, quorum felici auſpicio, perpetua pace latemur. Serua hos eis reuerenter Aſtantes iuſtiſſimos moderatores, vt creditã ſibi Ciuitatem,

tem,

8

BIBLIOTECA DEL SEMINARIO VESCOVILE DI PORDENONE
N. Inv.

tem, à malis omnibus sua auctoritate tutentur, moribus ornẽt. Serua optimos Gymnasiarchas, & emitte super illos sapientiam tuam, vt cũ illis sit, & cum illis laboret. Serua magnificos Reip. Designatos, & bonitatem ac disciplinam tuam doce illos. Indue Sacerdotes salutare tuum, Monachos beatę contemplationis suaui delectatione perfunde. Serua omnem istam supliciter procumbentem pręsentem cateruam, in eorũ hodie exaltandis corporibus, in eorum dicandis aris, in eorum honoribus & laudibus congregatam. Ante omnes vero sanctifica reuerendissimũ Antistem nostrum, vt per auxilium gratiæ tuæ purissimis manibus benedicat Populo suo in pace.

DIXI.



BIBLIOTECA DEL SEMINARIO
VESCOVILE DI PORDENONE
N. ingr. 38958

[illegible]
[illegible]
VIA R. FUCINI, 22[illegible]
ROMA TEL. 06/827[illegible]